

habere significatum principalis, hoc est, expressius, scilicet gratiam, non tamen principalis in denominatione aut participatione alicujus superioris, et ideo non esse analogum.

XXI. Tertio objicies : Multiplacantur significata sacramenti, ergo et significationes : ergo sacramentum non manet unum, quia unitatem habet a forma, forma autem est significatio : et sicut homo duas habens humanitates non diceretur unus homo simpliciter, sed secundum quid, scilicet ratione suppositi ; ita si multiplicantur, significationes, non erit unum sacramentum simpliciter ; sicut etiam propositio æquivoca vocatur propositio plures.

XXII. Respondetur primam consequentiam non valere, neque ea data valere secundam, nam plura illa significata ut significatione significantur, sicut et unica institutione imponitur signum ad ea significanda : sicut enim homo, ut dicit S. Thomas significat animam et corpus unica significatione, sic et sacramentum sua significata. Nec etiam valet secunda consequentia, nam signum ex eo quod habet plures significationes, non dicitur plura signa, sed unum habens plures significationes : sicut habens plures vestes non dicitur plures vestiti, sed unus vestitus pluribus vestibus, quod præsertim est verum in formis accidentalibus, quæ multiplicantur ad multiplicationem suppositi, ex quo habent unitatem et subsistentiam.

XXIII. Et eadem ratione, quando suppositum induit plures humanitates, dicitur a D. Thoma esse unus homo simpliciter, et plures solum secundum quid, id est, plures habens naturas : nam licet substantiæ multiplicentur ex multiplicatione formarum, id est, quando formæ suæ

naturæ relinquuntur in modo subsistendi, ut scilicet afferant secum sua supposita ; quando tamen trahuntur ad suppositum præexistens, habent se ad modum formarum adjectivarum, in quantum præsupponunt suppositum in quo sint ; et ideo ab illis non numeratur substantia, sed a supposito. Similiter quando philosophus dicit æquivocam propositionem esse plures, non negat esse unam propositionem, quæ constat ex termino æquivoco, aut terminum æquivocum esse unum ; sed dicitur plures, quia plures continet significationes, licet sit una.

XXIV. Quarto objicies : Sacramentum est signum rei sacræ in quantum nos sanctificat, sola autem gratia nos sanctificat intrinsece, Christus autem et gloria extrinsece : ergo solam gratiam significat, et non Christum, aut saltem non essentialiter habet Christum significare, sed solam gratiam. Patet, quia essentialiter solum habet significare id, quod est de essentia sanctificationis nostræ ; ea vero quæ sunt extra essentiam sanctificationis, non possunt essentialiter significari a sacramento.

XXV. Confirmatur : Tota essentia signi sacramentalis salvatur in eo, quod significet sanctitatem sanantem et significantem nos expresse et formaliter : nam signum, quod sic significat, est signum rei sacræ sanctificantis nos : ergo essentialiter non petit sacramentum significare etiam Christum et gloriam expresse et formaliter, sed sufficit quod significet illa ut includuntur in ipsa gratia implicite et virtualiter, quia hoc impossibile est separari a gratia, quod significetur ipsa, et non id quod implicite est in ea.

XXVI. Circa hoc argumentum, Cabrera disputatione prima hujus articuli censet sacramentum essentialiter quidem significare gratiam,

Christum vero et gloriam non essentialiter, seu non quasi de essentia significationis sacramentalis, sed quasi de integritate et complemento, solam vero gratiam significare esse de essentia significationis sacramentalis. Intelligit autem esse de integritate et complemento significare Christum et gloriam expresse et formaliter, nam implicite et virtualiter, prout in gratia continetur, non negat esse de essentia significationis, sicut et ipsa gratia, quæ talia virtute continet.

XXVII. Nihilominus tamen dicendum videtur, quod licet Christus et gloria se habeant ut causæ extrinsecæ nostræ sanctificationis, intrinsece tamen significantur a nostris sacramentis, non solum intrinsece quasi de integritate aut complete, sed intrinsece essentialiter ; non loquendo de essentia sacramenti quasi metaphysice et secundum diversos ordines rerum, sed supposita institutione et ordinatione præsentis Dei. Videturque id colligi ex discursu S. Thomæ, qui ex essentialibus sacramenti probavit sacramentum significare illa tria, scilicet, quia significat nostram sanctificationem, quod constat essentialiter esse sacramento. Ex quo inferitur, et quod id omnibus sacramentis convenit, et quod essentialiter : nam si esset solum de complemento et integritate significationis sacramentalis, non recte inferretur ex essentiali significatione ; id enim quod est de integritate et complemento rei, sine quo essentia ejus salvari potest, non recte inferitur ex vi essentiæ, aut essentialium, rei convenire ipsi : optime enim instari potest consequentia D. Thomæ : Sacramentum ordinatur ad nostram sanctificationem : in nostra sanctificatione continentur hæc tria : ergo sacramenta illa significant ; negari enim potest ista consequentia,

si quidem sine significatione horum trium salvatur essentia sacramenti.

XXVIII. Ratio vero conclusionis est, quia sacramenta non sunt signa sanctificationis nostræ abstracte et pure, seu prout præcise ponitur in nobis effectus sanctitatis quasi physice aut metaphysice consideratus ; sed debent esse signa sanctitatis ut moraliter datur, et secundum modum quo datur de facto secundum præsens decretum, quo Deus instituit sanctificare homines, et ideo debent significare gratiam, quæ modo est, quæ est gratia ut redemptiva, et mediante aliquo redemptore data. Nam non indiguit homo sacramentis sensibilibus ad sanctificationem suam, nisi quatenus indiguit gratia ut reparante, et supposito peccato, et sic indiguit sacramentis quæ significarent reparatorem, seu gratiam per reparatorem dandam.

XXIX. In alio autem ordine rerum significarent gratiam, et non Christum, nec ut complementum ; Deum autem significarent ut productorem gratiæ. Nam etiam in statu innocentiae sanctificabatur homo per gratiam, tamen tunc nulla fuerunt sacramenta, nec homini necessaria erant, ut S. Thomas determinat quæstione LXI, articulo II. Fuerunt autem homini necessaria sacramenta post peccatum, quando nullus sanctificari poterat nisi per Christi fidem, cujus protestationes sensibiles sunt sacramenta, et ideo institutum est a Deo ut sensibilibus homo protestaretur salvatorem suum, et per ipsum sanctitatem consequeretur, ut docet S. Thomas quæst. LXI, art. II.

XXX. Igitur sacramenta, secundum quod data sunt homini, non solum ut indigenti gratia, sed reparatione et reparatore, magis et essentialius (si dici potest) significant salvatorem, quam salutem. Et si-

cut voces habent significare *res* et conceptus essentialiter, *supposita* institutione sua, quia ad exprimendum conceptus nostros *inventæ* sunt, et significandas *res* quas *con-*cipimus, non tamen *significare* conceptus est de integritate *solum* et complemento significationis *vocum*, sed de *essentia*; sic *sacramenta* *supposita* institutione *divina*, quod fuerunt instituta non ad *significandam* gratiam ut sic, sed ad *significandam* gratiam ut *dandam* per salvatorem, necessario *debent* ex vi essentialis significationis *salvatorem* significare; et hoc *expresse* ac formaliter. Sicut enim *voces* non significant conceptus ut *virtualiter* continentur in rebus, sed *expresse* ipsos significant: sic *sacramenta* *expresse* significant *salvatorem*, quia significant *gratiam* ut *dandam* per salvatorem, et non *aliter*; sicut voces conceptus ut *conceptus* significant.

XXXI. Quare sicut posset *quidem* dari gratiam sine Christo de *absoluta* potentia Dei, et mutando *præ-*sentem rerum ordinem; stante tamen hoc ordine, impossibile est *aliter* habere propitiationem, quam per sanguinem ipsius: sic *sacramenta* licet absolute essent *sacramenta* in alio rerum ordine instituta, tamen in *præsenti* nequaquam possunt essentialiter dari *sacramenta*, nisi salvatorem significant, *quia* gratiam ut *dandam* per ipsum, et fidem ipsius, significare debent, *similiter* et gloriam: nam *essentiale* sacramentis est, ut salutem significant, non temporalem, sed *æternam*. Protestatur enim homo per *susceptionem* sacramentorum *æterna* bona se expectare, et non solum temporalia. *Æterna* autem salus esse non potest aut bonum aliquod, nisi in gratia consummata, seu *gloria*: illa ergo etiam essentialiter *significatur*. Fateor non *æque* omni-

bus sacramentis id convenire; sed quædam confusius, quædam *expres-*sius hæc significare, omnia tamen aliquo modo significant, etiam *antiqua*.

XXXII. Ad argumentum ergo dicitur, quod sacramentum essentialiter solum habet significare id quo essentialiter fit sanctificatio, *distinctur*; quod fit quantum ad *substantiam* solum, nego; quantum ad *substantiam* et modum essentialiter ei *connexum*, concedo; vel etiam essentialiter secundum modum a Deo decretum et determinatum, id est, per salvatorem, concedo; quasi metaphysice aut physice, nego: nempe fit essentialiter per gratiam ut reparantem, et *supposita* indigentia reparationis. Item essent sacramenta ex sola significatione gratiæ, quantum ad *essentiam* genericam sacramenti, non quantum ad *specificam*, quæ ex speciali modo significandi sanctificationem secundum ordinem a Deo institutum surgit. Et hoc maxime nota.

XXXIII. Ad confirmationem respondetur, quod signum rei sacræ sanctificantis nos, debet intelligi quod sit sanctificantis nos, eo modo quo Deus instituit ex vi decreti, et ordinis præsentis, et non aliter. Cum enim sit signum practicum, non debet significare sanctitatem nisi eo modo, quo danda est ex vi præsentis decreti. Unde oportet, quod *expresse* et formaliter significet gratiam ut *dandam* per salvatorem; et consequenter *expresse* salvatorem significet ex vi *essentiæ* significationis sacramentalis. Nam sicut sanctificatio nostra essentialiter, *supposito* decreto divino, petit dari per Christum, sic sacramenta, *supposito* eodem decreto, petunt significare sanctificationem *dandam* per Christum.

XXXIV. Adde quod sacramenta possunt considerari dupliciter, uno

modo ut signa gratiæ præcise: alio modo ut signa quæ adhibentur a Deo ut media necessaria ad gratiam. Posset enim salvari ratio sacramenti sine necessitate ipsius ad gratiam in alio ordine rerum. Primo modo non est ei *essentiale* significare Christum, per quem gratiam assequamur: secundo modo *essentiale* est, quia hæc signa adhibentur a Deo ad assequendam gratiam mediante Christo, et non aliter ex vi suæ institutionis signi sacramentalis.

XXXV. Quinto objicies: Nam S. Thomas solutione ad tertium, dicit quod: « Sufficit ad rationem sacramenti, quod significet perfectionem, quæ est forma: nec oportet, quod solum significet perfectionem, quæ est finis: » ergo sufficienter salvatur essentialis significatio sacramenti per hoc, quod significet gratiam quæ est forma sanctificationis.

XXXVI. Respondetur sensum S. Thomæ esse, quod non solum debet significare formam seu perfectionem quæ sit finis, sed etiam illam quæ sit forma; et non oportet, quod significet solum eam, quæ est finis. Etenim arguebat D. Thomas in illo argumento tertio, ex his quæ præcedenti articulo solutione ad tertium dixerat, scilicet: « Quod res denominantur a fine et complemento: dispositio autem non est finis, » et ideo ad rationem sacramenti non sufficit significare dispositionem ad sanctitatem, sed ipsam perfectionem sanctitatis. Ex his ergo texuit argumentum S. Thomas: « Sacramentum proprie debet significare finem sanctificationis, et non dispositionem, sic autem est vita æterna: ergo solum illam significat sacramentum. »

XXXVII. Respondet S. Thomas explicando solutionem suam præcedenti articulo, quod ad rationem

sacramenti sufficit significare perfectionem, seu finem qui est forma, et non dispositio; non tamen excluditur per hoc quod etiam significet perfectionem quæ est forma. Quando dixit: « Denominari aliquid a fine, et ita sacramentum debere significare perfectionem sanctitatis, non vero dispositionem, » intelligit, quod id quod requiritur ad rationem sacramenti, est quod significet perfectionem, quæ est forma; et hoc sufficit respectu hujus, quod est significare perfectionem, quæ est dispositio, non autem solum debent significare perfectionem, quæ est finis. Unde illud sufficit refertur ad id quod se habet ut dispositio, non respectu ejus quod se habet ut finis; et excludit dispositionem, non finem.

XXXVIII. Sexto objicies: Sacramenta vetera non erant rememorativa respectu passionis Christi, nec aperiebant januam regni cœlestis: ergo non conveniebat illis hæc triplex significatio. Item: Sacramenta quæ modo ministrantur in oleo, non apparet quomodo significant Christi mortem, cum oleum sit signum spiritualis lætitiæ; ergo non omnia sacramenta illa tria significant. Denique plura quam tria videntur significare, cum significant resurrectionem, ascensionem, etc.

XXXIX. Respondetur argumentum probare, quod non æqualiter omnia sacramenta significant hæc tria, nec eodem modo. Sacramenta enim vetera non rememorativo modo significabant Christi mortem, sed prognostico, et tamquam finem. Similiter promissionem gloriæ non ut proxime introducentia in illam, sed ut a longe salutantia respiciebant. Sacramenta vero, quæ modo ministrantur in oleo, mortem Christi significant, ex qua habent efficaciam, licet non ita determinate et *expresse* sicut alia: significant ta-

men illam secundum quod medicinalis est, et oleum est medicativum, aut quatenus in sanguine Christi unguimur tamquam ejus athletæ, etc. Resurrectionem vero et ascensionem et passionem significant sacramenta, ut in persona Christi continentur, et ideo non efficiunt distinctum significatum ab ipso.

XL. Septimo dices: Eucharistia expressius et principaliter Christum Dominum significat, quia verba consecrationis eum expressius significant: ergo non in omnibus sacramentis expressius significatum est gratia.

XLI. Respondetur magistrum Nugno ita sentire, quod in eucharistia principaliter significatum est Christus; in aliis enim constat principaliter esse gratiam, non principaliter dignitatis, sed expressionis, ex vi institutionis, respectu cujus est principaliter attentum, quia est formalis sanctitas. Nihilominus oppositum tenet Cabrera, nam cum sacramentum in genere, pro principali significato habeat gratiam, eo quod formalis sanctitas est, non potest disconvenire ab illo sacramentum in particulari. Et in hac sententia dicendum est, quod eucharistia licet non consistat in usu, sed in materia permanenti consecrata, tamen etiam non significat gratiam ut in usu, et actu sanctificantem, sed per modum alimenti ut refectionem est animæ; et ita significat Christum, non ut in se sacrum est, sed ut cibus noster est, et mediante gratia nos sanctificat. Unde et verba consecrationis significant Christum per modum cibi et potus spiritualis, ac adeo principale ibi significatum est gratia cibans et potans mediante Christi præsentia.

XLII. Qui tamen velit dicere cum Nugno, de ratione sacramenti in communi solum esse pro principali significato habere sanctitatem in-

trinsece, vel extrinsece sanctificantem, et in particulari determinari hoc sacramentum ratione formæ verborum ad signandum expressius hoc, quam illud, quia tamen soli uni convenit expressius significare causam extrinsece sanctificantem, quam intrinsece absolute dicit, quod gratia est expressius significatum sacramenti, et probabiliter satis loquetur. Neque officiant argumenta Cabrera, cum nullo modo tollatur univocatio in sacramentis, si quidem sacramentum in communi non dicit determinate quod sit expressius significatum, sed relinquit formæ cujuscumque in particulari, licet fere omnia inclinent in hoc, quod expressius sit gratia.

ARTICULUS IV.

Utrum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis?

Conclusio est affirmativa.

I. Probat eam S. Thomas primo in argumento Sed contra, ex auctoritate Augustini tractatu LXXX in Joannem dicentis: « Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum; elementum autem est quid sensibile: ergo res sensibiles ad sacramentum requiruntur. » In corpore articuli probat D. Thomas conclusionem ex duobus principiis. Primum est, quod modus connaturalis homini ad perveniendum in cognitionem aliquam intelligibilem, est per sensibilia. Hoc per se clarum est, cum iste sit finis, ob quem anima spiritualis unitur corpori, ut scilicet per sensus acquirat cognitionem. Secundum est, quod signum est per quod aliquid devenit in cognitionem significati. Ex quibus infert, quod cum res significatæ

per sacramenta sint spirituales et intelligibiles, et Deus unicuique provideat juxta modum proprium et connaturalem, consequenter oportuit quod significatio illorum signorum, per quæ debuit pervenire homo et acquirere istam cognitionem, in aliqua re sensibili compleretur, ut conformiter ad naturam humanam traderet illi signa ad acquirendam cognitionem rerum spirituum.

II. Advertendum est autem S. Thomam per ly res sensibiles, non intelligere solum rem permanentem, ut distinguitur a verbis, sed omnem rem sensibilem, etiam verba. Ut enim constat de sacramento matrimonii et penitentia, sufficiens eorum materia sunt verba aut nuntus. Igitur intelligit omnem rem sensibilem; et sic ratio ejus optime concludit, et non solum secundum congruentiam.

III. Pro ampliori explicatione solutionis ad primum, nota quod quando dicit S. Thomas: « Signa primo et principaliter dici de rebus sensibilibus, » non excludit a vera rationi signi signa formalia. Hæc enim differentia inter signa formalia datur et instrumentalia, quod signa formalia non deserviunt ad acquirendam cognitionem, quasi ex uno deveniendo ad aliud, sed ad formandam cognitionem, seu tamquam formæ, quibus fit ipsa cognitio tamquam per similitudines objecti. Instrumentalia vero signa deserviunt ad acquirendam cognitionem, tamquam ex quodam extrinseco, ex quo acquiritur cognitio alterius rei. Et hoc modo loquitur D. Thomas de signis, nam de illis loquitur quibus homo acquirat cognitionem modo sibi connaturali, et quæ ducunt ipsum ad cognitionem alterius tamquam quid notum, seu primo innotescens ad minus notum, seu innotum. Et sic manifestum est, quod

ratio signi modo humano non convenit spiritualibus rebus, cum non possint esse primo notæ, aut notiores ad minus notarum cognitionem acquirendam; nec sunt signa quasi acquisitiva, et inductiva in cognitionem modo humano, licet sint signa spiritualia, quæ sunt signa formativa cognitionis, sicut conceptus. Neque hoc negat D. Thomas.

DUBIUM UNICUM.

AN SIT DE ESSENTIA SACRAMENTI QUOD SIT RES SENSIBILIS?

Conclusio est affirmativa.

IV. Præcipuum fundamentum hujus conclusionis, sicut et aliarum, ex ipsa institutione petendum est. Cum enim sacramentum sit signum ad placitum, ejus essentia ex institutione et placito instituentis accipienda est. Cum autem instituens attenderit ad modum connaturalem hominis, cui proprium est uti signis sensibilibus, nec convenienter possit cognitionem haurire medianibus signis nisi sensibilia sint, ideo elegit materiam sensibilem, ut in ea signa sacramentalia institueret. Et ideo sicut ex natura rei, id est, ex modo connaturali hominis, signa tali naturæ accommodata sensibilia esse debent, ita sacramentalia signa ut sint humana, seu homini convenientia et accommodata, sensibilia esse oportuit. Si autem insensibilia essent, homini accommodata non essent, sed Angelo aut spiritui separato; quibus tamen proprie non convenit uti signis ad cognitionem acquirendam, quia non acquirunt cognitionem ex rebus externis, sed ex infusione specierum.

V. Quod si dicas: Nam sacramenta non ordinantur ad præstandam hominibus cognitionem, sed sanctificationem: ergo cum sanctifica-